



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...


De Ivstitia Et Contractibvs

**Vindalium, 1646**

Cap. III. De actibus exterioribus religionis, ac primò de Adoratione, de Sacrificio, de oblationibus, & primitiis ac de decimis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38850**





CAPVT III.

*De actibus exterioribus Religionis, ac primò de adoratione, de sacrificio, de oblationibus, & primitiis, ac de decimis.*

CONCLUSIO I.

**A**Doratio, per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet, est actus Religionis externus.) De hac agit s. Thomas 2. 2. quæst. 84. per tres articulos, quorum 1. docet, adorationem quâ Deus à nobis adoratur, esse actum Religionis, quod probat quia adoratio ordinatur in reuerentiam eius qui adoratur. Manifestum est autem ex dictis, Religionis propria esse, reuerentiam Deo exhibere.

Notandum verò ex responsione ad 1. Deo deberi reuerentiam, propter summam eius excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur. non secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem. Et ideò alia veneratione Deum veneramus, quod per-



tinet ad latriam; & aliã quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad dulationem. Et quia ea quæ exterius aguntur, signa sunt interioris reuerentiæ, quædam exteriora ad reuerentiam pertinentia, exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum est, adoratio: sed aliquid est quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium.

Articulo 2. docet, adorationem importare actum corporalem, quod probat, quia cum ex duplici natura compositi simus, intellectuali scilicet & sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus: scilicet spirituales, quæ consistit in interiori mentis deuotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius; ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo; quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus.

Articulo 3. docet, aliquem locum ex decencia requiri ad adorationem, non quidem principaliter, sed secun-



darior; quod probat, quia in adoratio-  
ne principaliter est interior deuotio  
mentis: Secundariũ vero est, quod per-  
tinet exteriũs ad corporalia signa. Mēs  
autem interiũs apprehendit Deum,  
quasi non comprehensum aliquo loco,  
sed corporalia signa necesse est quòd in  
determinato loco, & situ sint. Et ideo  
determinatio loci non requiritur ad  
adorationem principaliter, quasi sit de  
necessitate ipsius, sed secundum quan-  
dam decentiam, sicut & alia corporalia  
signa.

Notat autem in responsione ad 2. lo-  
cum eligi ad adorandum, non propter  
Deum qui adoratur, quasi concludatur,  
loco, sed propter ipsos adorantes, idque  
triplici ratione, 1. propter loci conse-  
crationem, ex qua spirituales deuotio-  
nem concipiunt orantes, vt magis exau-  
diantur. 2. propter mysteria & alia fan-  
ctitatis signa quæ ibi continentur. 3.  
propter concursum multorũ adorantiũ,  
ex quo fit oratio magis exaudibilis.  
Et in respõsione ad 3. obseruat, secun-  
dum quandam decentiam nos adorare  
versus orientem 1. propter diuinæ ma-  
iestatis iudiciũ, quod nobis manifesta-  
tur in motu cœli, qui est ab oriente. 2.  
propter paradysum in oriente constitu-



tum, vt legitur Genes. 2. secundum litteram. 70. Interpretum, quasi quæramus ad paradysum redire. 3. propter Christum, qui est lux mundi, & Oriens nominatur. Zachar. 6. quique ascendit super cælum cœli, ad orientem: & ab oriente etiam expectatur venturus, secundum illud Matth. 24. Sicut fulgur exit ab oriente, & patet vsque ad occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Plura hoc loco de adoratione tractari solent, quorum breuis conclusio sumi potest ex Idea Theologiæ Speculariæ lib. 2. cap. 20.

**CONCLUSIO II.** Sacrificiū est actus externus Religionis, quo aliqua res exterior Deo offertur. ) De sacrificio agit. S. Thomas 2.2. quæst. 85. per quatuor articulos, quorum 1. docet, offerre sacrificium Deo, esse de lege naturæ, quia naturalis ratio dicitur homini, vt ei quod est supra hominem, subiectionem & honorem exhibeat, secundū suum modum. Est autem modus conueniens homini, vt sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda. Et ideò ex naturali ratione procedit, quòd homo quibusdam rebus sensibilibus utatur, offerens eas Deo, in signum debitæ subiectionis & honoris, secundum simi-



itudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt, in recognitionē domini. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Quòd tamen ita intellige, ex responsione ad 1. vt oblatio sacrificii in communi, sit de lege naturæ determinatio verò sacrificiorum sit ex institutione humana, vel diuina.

Articulo 2. docet, soli Deo sacrificiū offerendum esse, quia exterior oblatio significat spirituale sacrificiū, quo anima se Deo offert, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis. Secundum autem veram fidem, solus Deus est creator animarum nostrarum; quia cū sint immateriales & per se subsistentes, non possunt aliter produci quàm per creationem, vt patet ex 1. parte quæst. 118. art. 2. In solo etiam Deo animæ nostræ beatitudo consistit, vt probatum est. 1. 2. quæst. 2. art. 8. quia scilicet beatitudo est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitū: alioqui non esset vltimus finis, si restaret aliquid appetendum. Cū autem obiectum voluntatis sit vniuersale bonum, nihil eam potest quietare præter vniuersale bonum, quod solum in Deo reperitur. Ex his ergo sequitur, nos debere soli Deo offerre exteriora sacrifi-



cia, sicut illi soli debemus sacrificium spirituale offerre.

Articulo 3. docet, obligationem sacrificii esse actum religionis, cum sit specialis actus laudem habens ex eo, quod in diuinam reuerentiam fit. Notat tamen interdum ea quae secundum alias virtutes fiunt, in diuinam reuerentiam ordinari; ut cum aliquis facit eleemosynam de bonis propriis, propter Deum sicque actus aliarum virtutum quodammodo sacrificia dici posse. At verò esse alios actus, qui aliunde non habent laudem, quam, quia fiunt propter reuerentiam diuinam; & tales actus esse proprie sacrificia, & pertinere ad virtutem religionis.

Nota ex responsione ad 3. sacrificia proprie dici, quando circa res oblatas aliquid fit, sicut quod animal occiditur, vel comburatur. Oblatio autem dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiam si circa ipsum nihil fiat, sicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur. Primitiae verò oblationes sunt, quia Deo offerebantur, non autem sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat: at decimae non sunt propriae sacrificia, vel oblationes, quia non immediate Deo, sed ministris diuini cultus exhibentur,



DE IUSTITIA. CAP. III. 201

Articulo 4. docet 1. omnes teneri Deo offerre sacrificium interius nempe deuotam mentem. 2. agendo de sacrificio externo proprie dicto, aliter ad hoc offerendum teneri existentes sub lege noua, vel veteri; aliter eos qui non sunt sub lege. Nam qui sunt sub lege, tenentur ad determinata sacrificia offerenda, secundum legis precepta. Alij vero cum non haberent determinata sacrificia, tenebantur aliquid exterius facere in honorem diuinum, secundum condecenciam ad eos cum quibus habitabant. 3. agendo de virtutibus, quæ sunt quædam sacrificia impropria, ad eas quæ sunt de precepto omnes teneri, non autem ad eas quæ sunt supererogationis.

Nota, in lege noua nullum esse verum sacrificium, præter Eucharistiæ oblationem, vt passim Patres affirmant, ipsaque ratio satis ostendit: hoc enim sacrificium habet virtutem infinitam siue ad placandum Deum peccatis nostris offensum, siue ad noua beneficia ab eo imploranda, aut gratias pro antiquis agendas. Quare frustra Deus propter hos similesue effectus, aliquid aliud sacrificium instituisse. Potro oblatio thuris, quæ fit in altari, non est sacrificium, vt ex eo patet, quia Ecclesia thuris suffitu imagines.



ipfas colere solet, & adolere incensum spectat etiã ad non Sacerdotes cùm tamen sacrificium non nisi Deo, idque tantum à Sacerdotibus offeratur. Est ergo quædam cæremonia ab Ecclesia instituta, qua & maiestas sacrificii missæ commendatur, & mentes fidelium excitantur ad contemplationem mysteriorum, quæ in sacrificio latent.

CONCLUSIO III. Inter actus Religionis externos, quibus aliquid Deo offertur, ponuntur oblationes, & primitiæ.) De his agit S. Thomas 2. 2. quæst. 86. per quatuor articulos, quorum. 1. docet, oblationes non esse de præcepto posse tamen contingere, aliquem ad oblationes teneri quadruplici ratione. 1. ex præcedenti conuentione, sicut cùm alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamẽ habet rationem census. 2. propter præcedentem deputationem, siue promissionem: sicut cum aliquis offert donatione inter viuos, vel cum testamento relinquere aliquam rem mobilem, vel immobilem in posterũ soluendam. 3. propter Ecclesiæ necessitatem, puta si ministri Ecclesiæ non haberent vnde sustentarentur. 4. propter consuetudinem, tene-



tur enim fideles, in quibusdam solénitatibus, ad quasdam oblationes consuetas.

Notandum verò ex responsione ad 3. eos qui oblationes debitas non reddunt, posse puniri per subtractionem sacramentorum, non per ipsum Sacerdotem, cui sunt oblationes faciendæ, ne videatur pro sacramentorum exhibitione aliquid exigere, sed per superiorem aliquem. Porro quod attinet ad eos, qui oblationes ex donatione, aut testamento debitas negare audent, ii iuxta Canones sunt excommunicandi.

Articulo 2. docet, oblationes quæ à populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinere, non solum vt eas in suos vsus conuertant, verum etiam vt fideliter eas dispensent: partim quidem expendendo eas, in his quæ pertinent ad cultum diuinum: partim etiam in vsum pauperum, qui sunt quantum fieri potest, de rebus Ecclesiæ sustentandi. Monet autem in respons. ad 2. religiosos posse oblationes recipere tripliciter. i. sicut pauperes, per dispensationem Sacerdotis, vel Ecclesiæ 2. si sint ministri altaris, tunc enim possunt accipere oblationes sponte factas 3. si Parochiæ sint eorum: nam tunc ex debito possunt accipere oblationes, tanquam Ecclesiæ Rectores.



Articulo 3. docet, posse fieri oblationes per se loquendo, de qualibet re licite possessa Per accidens tamen contingere, quòd de aliquo licite possesso oblatio fieri non potest; puta si vergat in detrimentum alterius, vt si filius offerat Deo id, vnde patrem nutrire debet, aut si inde possit oriri scandalum, vt si oblatio fieret, de mercede prostibuli, quia videretur Ecclesia fauere peccato. Hoc autem intelligi debet de oblatione publice facta, nã si priuatim, & sine scandalo fiat, licite acceptari poterit.

Articulo 4. docet, pertinere ad ius naturale, vt homo ex rebus sibi datis à Deo, aliquid exhibeat ad eius honorẽ, sed quod talibus personis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuisse in veteri lege iure diuino determinatum in noua autem lege definiri per determinationem Ecclesiæ: ex qua homines obligantur, vt primitias soluant secundum consuetudinem patriæ. & necessitatẽ ministro- rum Ecclesiæ. Si tamen alicubi recepta est consuetudo. non soluendi primitias, nõ peccat qui eas non solunt; saltẽ si ministri Ecclesiæ ex decimis, & oblationibus sufficiẽter possunt sustentari. Imò si



DE IVSTITIA. CAP. III. 205  
solæ decimæ ad hoc sufficiunt, non ap-  
paret cur fideles ad oblationes tenean-  
tur.

CONCLUSIO VI. Solutio  
etiam decimarum inter actus externos  
Religionis numerari debet. De hac ma-  
teria agit S. Doctor 2. 2. quæst. 87. per  
quatuor articulos, quorum 1. docet so-  
lutionem decimarum partim esse ex iu-  
re naturæ, partim ex institutione Eccle-  
siæ. Ex iure quidem naturæ, quatenus  
ratio naturalis dicitur, iis qui diuino  
cultui ministrant, pro salute populi, ne-  
cessaria ad victum à populo ministran-  
da esse: sicut & his qui communi utili-  
tati inuigilant, scilicet Principibus, &  
militibus, aliisque huiusmodi. Ex insti-  
tutione verò Ecclesiæ, quia Ecclesia in  
nova lege statuit decimam partem sol-  
uendam, potius quam aliam, quam de-  
terminare poterat. In lege tamen ve-  
teri solutio decimarum erat de iure  
diuino.

Nota 1. etsi præceptum soluendi de-  
cimas, non possit abrogari, quatenus est  
naturale; posse tamen abrogari, qua par-  
te est humanum, seu quoad illam deter-  
minationem partis decimæ, ut colligi-  
tur ex responsione ad 5. ubi S. Thomas  
monet, laudabiliter ministros Ecclesiæ



decimas non requirere, vbi sine scandalo requiri non possunt, propter consuetudinem, vel propter aliquam aliam causam; nec tamen eos peccare qui non soluant, in locis illis in quibus Ecclesia non petit nisi fortè propter obstinationem animi; si nempe ita sint affecti, vt habeant voluntatem non soluendi, etiam si ab iis peteretur.

Nota 2. variis de causis posse aliquem eximi à solutione decimarum, modo ministri Ecclesiæ aliundè habeant, vnde sufficienter sustententur. 1. propter consuetudinem non soluendi, quam aliqui existimant decem annis introduci posse, et si alij communiter 40. exigant. 2. ob legitimam præscriptionem, ad quam, si sit cum titulo probabiliter præsumpto, sufficiunt 40. anni; si verò sit sine titulo, requiritur tempus immemorabile. 3. si Ecclesiastici transigant cum populo, de remissione decimarum, modo transactio illa fiat ex consensu Pontificis, si decimæ laicis remittantur in perpetuum, aut pro longo tempore; vel ex consensu Episcopi, si fiat transactio inter duas Ecclesias. Potest tamen quilibet beneficiarius, sine superioris auctoritate, cōponere de decimis, sibi iam pro tempore præterito debitis, vel etiam



DE IVSTITIA. CAP. III. 107  
de iis, quæ ipsi pro tota vita compe-  
tent, quia sic non disponit de bonis Ec-  
clesiæ, sed de propriis.

Articulo 2. docet S. Thomas, deci-  
mas soluendas esse de omnibus quæ  
homo possidet, quod probat, quia de  
vna quaque re est iudicandum, præcipuè  
secundum eius radicem. Radix autem  
solutionis decimarum est debitum, quo  
seminantibus spiritualia debentur car-  
nalia; super hoc enim debitum fundavit  
Ecclesia determinationem solutionis  
decimarum, omnia autem quæ homo  
possidet, sub carnalibus continentur, &  
ideo de omnibus possessis decimæ sunt  
soluendæ.

Vt ista clariùs percipiantur, Nota 1.  
decimas esse triplicis generis, quarum  
aliæ dicuntur personales, aliæ prædia-  
les, aliæ mixtæ. Personales sunt, quæ de-  
bentur ob industriam personæ, nempe  
mercaturam, venationem, ludum, &c.  
Prædiales verò quæ proueniant ex fru-  
ctibus terræ, arborum, piscinarum, mo-  
lendinorum, &c. At mixtæ dicuntur, quæ  
oriuntur ex fructibus partim ex prædio,  
partim industria comparatis, vt sunt  
fructus animalium, lana, lac, caseus, bu-  
tyrum, &c.

Nota 2. quòd etsi ex iure communi,



debeantur decimæ personales ex omnibus mobilibus, quæ fidelis propria industria comparauit, quæque sine iniustitia retinere potest: hoc tamen ius per contrariam consuetudinem ferè ubique abrogatum est; quare inspicienda est, quoad solutionem eiusmodi decimarum, cuiusque loci consuetudo. Quod spectat ad decimas prædiales, & mixtas, eæ per se loquendo soluendæ sunt ex omnibus fructibus, & prouentibus rerum mobilium, & immobilium, idque integris, id est ante vllam expensam, tributi, vel pensionis deductionem, vt in iure statum est, & obseruat S. Doctor in responsione ad 4. Qui tamen rectè monet, in responsione ad 3. honestati ministrorum non conuenire, vt etiam minima, exacta diligentia requirant. Dixi, per se loquendo, seu attento iure communi, nam ex consuetudine fieri potest, vt decimæ non soluantur ex fructibus omnibus.

Articulo 3. docet 1. ius percipiendi decimas ad solos clericos spectare; illud enim ius spirituale est, cum consequatur illud debitum, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, & quo seminantibus spiritualia, debentur temporalia. Docet 2. decimas ipsas posse



DE IVSTITIA. CAP. III. 209  
ad laicos pertinere: quia cum sint res  
corporales, possunt in usum quorumli-  
bet cedere. Verum maioris claritatis  
gratia.

Nota 1. ex communi sententia, sum-  
mum Pontificem ex iusta causa, redditus  
decimarum laicis in perpetuum conce-  
dere posse. 2. Episcopos, & inferiores  
Prælatos potuisse, ante Concilium La-  
teranense, sub Alexandro II. habitum,  
Ecclesiæ suæ decimas concedere laicis  
in feudum perpetuum. 3. talem conces-  
sionem ex eo tempore, sine consensu  
Pontificis factam, ipso iure irritam es-  
se. 4. posse tamen laicum, tuta conscien-  
tia, retinere decimas, quas à tempore  
immemoriali titulo feudi possidet, si  
ignoratur an ante, an post tempora di-  
cti Concilij feudum illud comparauerit.  
5. posse quoque laicum, feudum iusto  
titulo possessum non modo Ecclesiæ, vel  
alteri loco pio concedere, sed etiam in  
laicum transmittere, ex consensu Epis-  
copi. 6. Imò posse Episcopum, mortuo  
ultimo feudatario, decimas nondum ac-  
ceptatas alteri infeudare: hoc enim non  
est bona Ecclesiæ alienare, sed alienatio-  
nem aliàs factam, continuare, quod ex  
gravi causa, licet.

Quæres cui loco debeantur decimæ: S.



Thomas in responsione ad 2. ait 1. decimas personales deberi Ecclesiæ, in cuius Parochia homo habitat. 2. decimas Prædiales rationabiliter magis videri pertinere ad Ecclesiam, in cuius terminis prædia sita sunt: iura tamen determinare in hoc seruandam esse consuetudinem diu obtentam 3. pastorem qui diuersis temporibus, in duabus Parochiis gregem pascit, debere proportionaliter vtrique Ecclesiæ decimas soluere. 4. quia ex pascuis fructus gregis, proueniunt, magis deberi decimam gregis, Ecclesiæ in cuius territorio grex pascitur, quàm illi in cuius territorio ouile locatur.

Articulo 4 docet 1. clericos vt sic, non teneri ad solutionem decimarum, quia idem non potest esse causa dandi, & recipiendi, sicut nec causa agendi, & patiendi: at clericis in quantum sunt ministri altaris, decimæ à fidelibus debentur. Ergo clerici vt tales, seu vt habent Ecclesiasticas possessiones, decimas soluere non tenentur. Docet 2. clericos alia ex causa obligari ad solutionem decimarum, nempe quatenus possident proprio iure, vel ex successione parentum, vel ex emptione, vel quocunque huiusmodi titulo.



DE ISVTITIA. CAP. III. 214

Notandum autem ex responsione ad clericos de propriis prædiis, teneri soluere decimas Parochiali Ecclesiæ, etiamsi ipsi sint eiusdem Ecclesiæ clerici; quia aliud est habere aliquid vt proprium, aliud vt commune. Prædia verò Ecclesiæ non esse ad soluendas decimas obligata, etiam si sint intra terminos alterius Parochiæ. Ex quibus postremis verbis colligi potest, conclusio illius difficultatis, an vna Ecclesiæ teneatur soluere decimas, de hereditate ipsi concessa, quæ in territorio alterius Ecclesiæ sita est, & ex qua tali Ecclesiæ decimæ pendi solebant. Videtur enim negandum, ex mente S. Thomæ, quem nonnulli recentiores sequuntur. Verùm hoc paulò durum apparet, quia sic contingere posset, vnam Ecclesiam successu temporis suis omnibus bonis spoliari: quare doctrina S. Thomæ intelligenda est, nisi inde graue aliquod incommodum oriatur, quod Episcopi iudicio determinandum erit.